VINCENTII PELLECCHIAE

ODE ALCAICA

In Obitu Josue Carducii

CUM PRAEFATIONE IPSIUS AUCTORIS





ANNO MCMVII

SALERNI
Ex typis Frat. Jovane
1907

ADMONITUS

Comitatui Petraesanctae, cui est summae curae monumentum Poetae constituere, huius opellae dominium cum omni iure ab auctore conceditur.

JOANNI PASCULO

SUMMO LITTERARUM ELEGANTIUM DECORI

ITALORUM POETARUM PRINCIPI

TANTI MAGISTRI

DIGNO ATQUE SINGULARI SUCCESSORI

ILLIUS ANIMI ET MENTIS

INTERPETRI SINCERO.



PRAEFATIO

Cum tristis nuntius, candide lector, interitus Josue Carducii omnes peragravit regiones Italicas, inter luctum et universalem moerorem, dum discipuli, collegae et alii summi viri huius peninsulae, ad memoriam eius dignis laudibus celebrandam, certatim operam dabant, latinam hanc condere oden consilium cepi, quae illum in coelicolûm numerum referret, et Joanni Pasculo esse dicandam constitui, cum pro certo haberem ipsum, propter singularem animi magnitudinem, scientiam atque ingentem elegantium litterarum et ingenuarum artium eruditionem, consensu atque sententia summorum Academicorum, Poetae haereditatem obtenturam.

Ita censui obitum Carducii reapse dici non posse maximam calamitatum et patriae iacturarum, sed splendidissimum et praeclarum triumphum, veluti si corona Apollinaris esset illi sumenda. Nam compertum est poetas, qui non tantum magnam existimationem apud doctissimos viros, verum etiam favorem et auram popularem sint assecuti, esse in omni aevo immortales. Sic et non aliter puto Carducium fuisse; qua ex re finxi, tanquam solem,

gloria circumfluentem occidisse, ut postridie splendidior surgeret, vitamque aeternam apud posteritatem quam serissimam degeret. Hinc ratio non utendae elegiae passis et indignis capillis, ut Ovidius fecit, cum deflevit acerbam Tibulli mortem; sed fides canoras aeoliae lyrae oportere existimavi, ut dignas laudes Vatis triumphantis non mortui canerem. Et in hoc Horatii exemplum sequi conatus sum, qui Augusti victoriam in Britannos hospitibus feros et pharetratos Gelones celebrans, invocat reginam Calliopen, ut descendat de coelo et tibiâ dicat longum melos. Quamobrem illud Ovidii in elegia de morte Tibulli

« Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit »

iure mihi videtur convenire odae alcaicae; quoniam ut Tibullus fuit elegiae pater latinae, qua sibi ipse maximam peperit laudem, ita Josue Carducius apud nos parens et inventor primus novae poeseos lyricae habitus est, cum iam poene omnia metra Horatiana secutus esset, tanta nobilitate, tanto ingenio et lepore, tantaque suavitate et vigore italici sermonis, ut nemo sit quin eius carmina lectitans vim, venustatem, gratiam, industriam et brevitatem latini sermonis degustet. Itaque, de ode alcaica dicendo, commodissime referre iuvat quod Ovidius in elegìa, quam supra memoravimus, ait:

« Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in exstructo, corpus inane rogo. »

Revera, si Ovidius censuit elegiam esse maxime idoneam ad funus Tibulli, tanti operis auctoris, celebrandum, recte visa est mihi ode alcaica ad Carducii triumphum canendum longe aptissima. Nam Vates iste novi saeculi est imago, libertate, legibus, studiis artibusque omnibus florentis; ideoque is veterum poetarum

numeris et modis, antiquam magnitudinem aureae aetatis imperii romani evocat, ut suos cives ad quam maximam prosperitatem, fortunam et gloriam reipublicae perducat. Ergo, quasi summa Capitolii ab arce sermocinans, ut antistites, et augures antiqui, praeclaris gestis maiorum inducendis, trucibus iambis in tyrannidem vibrandis et itinere ostendendo virtutis, gloriae libertatisque, fata patriae futura vaticinatur. Quo factum est, ut hic Poeta merito existimetur *popularis;* quia praecipue suis carminibus in populum intendit animum, praeclara illius facinora tractat, calamitates, miserias et tristem servitutem deplorat, illius iura moresque tuetur, et novos libertatis ortus praesagit et secundat. Is quandoque ferocem Catonis animum ostendit, saepius libentiusque Bruti et Cassii pugionem magnificat, totamque effundit Aligherii bilem, in instantem dominorum gubernantium tyrannidem, et tum cum bellum exarsit, triumphalem hymnum concinnens, comitari Garibaldum et Mazzinium pro patriae salute dimicantes visus est. Qua ex re a nonnullis quoque *Poeta rebellionis* appellatus est; ideoque omnes sunt cantata per urbes Italicas eius carmina, felices exspirantia libertatis auras.

His rebus, a tumulo Carducii fletus et gemitus putavi esse demovendos, et, celebrando illius funere, tribuendos meritos honores, quos olim civitas romana indicere patri patriae solebat. Pueros, igitur, puellasque, matres virosque, proceres ducesque et quotquot aderant cives cohortatus sum ferre lauros ad feretrum Poetae, ut ad carrum triumphalem Caesaris victoris, et gratantes conclamare laetum paeana.

Constat, enim, omnes fluendos homines, qui, quamvis copiosam amoris haereditatem reliquerint, tamen nulla ingenii vestigia, nullaque opera et insignem reliquêre memoriam virtutis et gloriae, quibus ut ait Horatius:

« Illos aget penna metuente solvi
fama superstes. »

Contra, viri praelari et praesertim *novatores aevi* non sunt lugendi; quoniam eorum animae, suis operibus haerentes, fere videntur demigrare ad posteros, et sempiternam vivere vitam. Quod, quidem, dicendum est de Josue Carducio.

Cetera, autem, odes omnino sumpa sunt ex diurnorum narrationibus, veluti apparatus funereus Bononiae, ingens populi concursus, studentum comitatus cum historico labaro. Quod attinet ad litem ortam inter Florentiam et Felsinam de habendi iure corporis Poetae, cum illa adhuc sub iudice sit, visum est mihi aeque posse dirimi hac sententia, nempe, maneat sacra domus Felsinae et corpus servandum detur Florentiae. Si res ita se habet, utraque civitas, debet esse contenta.

Enimvero, domus quam habuit Poeta, iam Senatus lege monumentum gentilicium est constituta; in ea plena et dives bibliotheca servatur cum codicibus illius manuscriptis et aliis documentis pretiosis. Hanc domum doctissimi viri peregrini et nostrates, ut aediculam Minervae et Apollini sacram religiosius visitabunt, laudantes urbem hospitalem, quae suis turribus sedibusque iucundis animum nobilem ingeniumque alacrem Poetae ad condendum melos mirum, nec auditum prius accendit. Ossa, autem in Santa Cruce tumulanda, dum solvuntur debitum erga terram natalem, sunt maximum praemium viro tam insigni; namque hic locus est commune sepulcrum clarorum virorum, et Florentia, terra carminum ferax, mater et cunabula Italicae linguae sui nati recipiat ossa, ut mollius cubent prope Fusculi et Alferii tumulos, idoneo loco, ubi patria tanti nominis superba, ut ait Horatius:

« Exeget monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax non aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis.
Annorum series et fuga temporum. »

Deinde, ratus sum pertinere ad Pasculum signare saxum immortali carmine, dolorem Versiliae et tristitiam loquente. Nam solus ille propter ingenii aciem, fandi copiam et poeticum impetum, interpetrari magistri animum ac mentem poterit.

Postremo, cum Carducium insignem poetam rebellionis et redemptionis patriae iudicarem, cum illi esset animus ferus et bellicosus et cum acriter dimicasset calamo, dum Capraeriensis Heros summo cum duce Sabaudo castris pugnabat cruentis in hostem tyrannum, potissimos arbitratus sum ad evocandam eius memoriam hymnum Garibaldinum et rubram subuculam, quibus ode absolvitur.

Praemissis, igitur, his brevibus notionibus ad mentem praesentis odes intelligendam, lector carissime, an constitutam metam omnino contigerim tibi fateor me valde dubitasse; quoniam multi excellentissimi et sapientissimi viri [1]) ipso non excepto Pasculo, de ha re doctissimos sermones effuderunt, et praecipue in hoc genere laudis praestat ode condita a *Gabriele de Nuntio*, celeberrimo poeta nostro, nuper typis mandata, de qua maxima cum laude omnia locuta sunt diurna. Sed, in tanto dubio et animi sollicitudine mihi tulit opem probatorum amicorum consilium, qui multis rebus me in opinionem adduxerunt, ut istos qualescunque versiculos ederem, confisus magis benignitati et benevolentiae tuae, quam mei operis pretio. Idcirco, dum te, lector amice, etiam atque etiam rogo et exoro mihi des veniam omnis mendarum generis, et non sis censor severus, profiteor me nullum praetermisisse stu-

---

[1]) Inter omnes commemorationes de vita et operibus Carducii poetae id temporis typis editas diurnisque refertas, maxime excellunt non tantum verborum copia, venustate et vigore, verum etiam iudiciorum pondere et sententiarum gravitate luculentissimi et perpoliti sermones habiti ab Henrico Cocchia, Francisco de Ovidio, Francisco Turraca, Josepho Taormina, Henrico Corradinio, Josepho de Laurentio, Tullio Hortolano et Raphaele Barbera.


dium atque laborem ad honorandam sacram memoriam Poetae, quem populus Italicus vivum dilexit et ad sidera mortuum extulit.

Te hoc admonito, vale.

Data Salerno X Kal. martias MCMVII.

VINCENTIUS PELLECCHIA





ODE

Con questi grandi abita eterno, e l'ossa
Fremono amor di patria....

FUSCULUS — *De Sepulcris.*



QUISNAM, Joannes, tendere Lesbium
Audet libens hoc funere barbiton,
Cum conticent pulchrae sorores,
Quae iuga Castalii decorant?

Haec visa clades est mihi nobile
Letum, triumphus maximus omnium,
Nec nos decent tristes camoenae,
Aut elegeia crine passo.

Titan coruscans clarius occidit,
Sublimis arces attigit igneas;
Quem nunc beat coelo sereno
Teia musa vetustum alumnum.

Non est dolendum: comprime lacrimas
Spes nostra, pubes, Itala robora:
Imbellis est fletus, Quirini
Omnia perpetier nepotum.

Nostrum suprema est ducere funera
Pompa atque fastu, divite, Persico,
Ut civitas gratos honores
Ferre patri patriae solebat.

Castae puellae, vos, pueri integri,
Matres colendae, flos procerum et ducum,
Lauros manu plena feramus,
Fiat ut hic tumulus tropaeum.

« Paean io — una voce age dicite —
Salve triumphans, Josue, Josue »
Nobis erunt manes perennes,
Ille deus, deus est, Joannes!

Templum verendum facta Bononia
Ornata splendent oppida, moenia;
Cernis refertam urbem coronis,
Dum Itala signa agitantur aura.

Iam luce prima turba ruit domum,
Corpus Poetae visere flagitans;
Qualis suo natus parenti,
Oscula porrigit ore anhelo.

Audax studentum convenit undique
  Sacro Minervae cum labaro cohors,
    Antistitem lugens ademptum,
      Qui cecinit nova fata plebis.

Quae vidit aetas agmina civium
  Tam densa passum tendere praepetem
    Ad iusta defuncti? Quis Orci
      Sustinuit faciem minacis?

Hoc sponte virtus obsequium parit,
  Quod semper heros fulget honoribus
    Post fata, cui coelum recludit
      Arbitrium popularis aurae.

Cesset duarum lis tamen urbium
  De iure habendi corporis illius:
    Florentiae corpus quiescat,
      Sit pretiosa domus Felsinae.

Carthusiae nunc interea cubent
  Molli sub umbra, donec ad igneas
    Surgat plagas bustum superbum,
      Pyramidum altius, ossa, mole.

Ad te, Joannes, pertinet, optime
  Heres Magistri, scalpere carmina
    Mansura devoto sepulcro,
      Dum Capitolia celsa stabunt.

Lustrans viator, pervius alveus
Urbem petentes haec videant sacra
Vasa et legant dignam querelam,
Tristia Versiliae loquentem.

Gressum canunt cum classica bellicum
Camajorensis vindicis incluti,
Cumque aspicis rubram subuclam,
Qua juvenum manus acris olim

Depugnans se pro patria tulit,
Vatis memento carmina barbara,
Vibrantis in saevum tyrannum
Fulmineos rabidosque iambos.

Finis.

